PROPOSITIONES
EX UNIVERSA
PHILOSOPHIA SELECTAE
QUAS
PUBLICE PROPUGNANDAS SUSCIPIT,

ATQUE INCLYTO, MAXIMEQUE DOCTRINA, NOBILITATE, PIETATE CONSPICUO FLORENTINO PATRUM

SOCIETATIS JESU
COLLEGIO

D. D. D.

FRATER LUCIDUS
FLORENTINUS

In Conventu Omnium Sanctorum Philoſophiae Auditor.

FLORENTIAE, ☩ MDCCXLIV.

Ex Typographia Joannis Baptiſtae Stecchi, & Ignatii Ricci, in Platea Sancti Florentii, ſub Signo Temporis.

SUPERIORIBUS PERMITTENTIBUS.

PROPOSITIONES
EX UNIVERSA
PHILOSOPHIA.

Quoniam in logicis inſtitutionibus, prò viribus noſtris docuimus *Dialecticam eam eſſe facultatem, quae de veritatis indole potiſſimum agit, viam ſternit, ac media demonſtrat, quibus homo inſtructus, ac praemunitus, ad verum, falſumque noſcendum, reddatur idoneus*; idcircò diſputationem quamlibet illa praecedit: Num hominibus in hac miſeriarum valle degentibus, veritatem aliquam certò, tutoque noſſe, datum ſit, nec ne? quaeque ſint viae, atque criteria, quibus verum certò, tutò-que dignoſci valeat, & a falſo diſtingui?

I.

NOn abſre hujuſcemodi inquiſitionem nos ſuſcepiſſe, ii ſolùm ignorare poſſunt, qui Philoſophicam hiſtoriam nec ſummis quidem labiis attigerunt, planèque inſcii ſunt illuſtrium illorum Philoſophorum, quorum alii cum Socrate, atque Platone, licet non omnia faterentur incomprehenſibilia, nihil tamen certò ſciri poſſe adfirmarunt, alii cum Arceſila omnia penitus incomprehenſibilia dixerunt, alii cum Lacide, quaedam probabilia tantum, ſivè ſimillima, & proxima vero eſſe, putaverunt, alii tandem cum Pyrrhone, & Sexto Empyrico oequum duxerunt ſolemnem de rebus omnibus dubitationem inſtituere. Paucis verbis, nec pauci, neque ignobiles fuere Philoſophi, qui de veritate deſperarunt, atque omne ſuſtulerunt, veri, falſique noſcendi, Cryterium.

Nos tamen miſerrimè deceptos dicimus; poteſt enim veri aliquid a nobis certò cognoſci, idque ſigno ſui aliquo palam fieri.

II.

Benè, juſtè, ſanctèque habet, non tam hebes, ac plumbeum eſſe humanum genus, ut nihil ſit, quod agnoſcat. Poſtulat nunc inſtitutae doctrinae ordo, ut in vias illas, & Cryteria inquiramus, quae ad veritatem humanum ingenium ducunt. Qua in re, licèt Carteſio vitio non vertamus, quod, mentem, docuerit, à praejudiciis purgandam eſſe, maxima enim indè oritur utilitas, & facilior ad veritatem via ſternitur; ſatis tamen nobis diſplicet modus, quem ſtupendarum novitatum molitor ille, prò eruendis praejudiciis, tradit, &, hunc falſum, fortaſsè impium, ipſiuſque ejuſdem doctrinae adverſantem inducere, non veremur.

III.

De veritate igitur deſperandum non eſt, ſufficiens enim Cryterium adeſt, evidentia ſcilicet, ſenſibus, & ratione comparata, quae in pluribus effulgens, plurium veritatem oſtendit. Quod idem videtur, putaſſe Carteſius ipſe; Cryterium namque illud, quod propoſuit ſcilicet *Quidquid ex ideâ clara, & diſtinctâ alicujus rei comprehenditur, id de ea re certiſſime debet affirmari* quamquam cum auctoris doctrina de omnibus dubitantis minimè congruat, putamus, cum evidentiâ confundendum.

IV.

Invincibili hac evidentia ducti plura cognoſcimus, principia praeſertim, tùm quod ſpectat ad theoriam, tùm quod pertinet ad praxim, nempè tàm ſpeculativa, quam moralia. Quorum cognitionem quicumque ex innatis ideis repetunt, decepti dicendi ſunt, omnes enim noſtrae ideae, quas nobis placet, cum rerum quarumcumque cognitionibus confundere, ex ſenſatione ſola, vel ſola reflexione, vel ex utraque ſimul oriuntur.

V.

En jàm ſpe, quidquam certò, tutòque noſcendi, minimè deſtituti, ad praecipuas Philoſophiae facultates accedimus, & eorum inſtituimus examen, quae in qualibet ex iis nobis apriora videntur. Logica prima occurrit, cujus originem, atque objectum ſolummodò inveſtigamus. De artificiali autem loquimur, quae, quemadmodum, vel prò ea ſumitur, quae in ſimplici cognitione, obſervatione, & collectione praeceptorum logicalium, ſita eſt, vel prò ea, quae aptà methodo digeſta traditur in modum doctrinae, ita ſub utraque ratione inſpecta à nobis conſideratur, qui falſum cenſemus, illam primo modo acceptam, Deo Optimo Maximo, qui eam Adamo infuderit, originem ſuam debere. Quod ſi ſecundo modo ſumatur, Zeno Eleates, quantum ſcire poſſumus, auctor eſt logicae, cujus adaequatum objectum, eſſe ratiocinationem, propugnamus.

VI.

VI.

NIhil ulterà in Logica quaerimus, ſufficit enim, in eâ facultate illa omnia tradidiſſe, quibus mens emendari poſſit, & ratio dirigi. Entia modò conſideramus, &, Ontologiam primùm, quâ ens reale generatim, & illius affectiones per mentem abſtractae conſiderantur, exponendam ſuſcepimus, ipſoque in limine ſtatuimus ſubſtantiis, modis, atque relationibus, quibus omnia complectuntur, quae entia dici poſſunt, quocumque demum modo talia dicantur, vel ſubſtantiae, & accidenti, Deo, & Creaturae, commune univocum nihil eſſe.

VII.

QUin-immò tantum abeſt, ut univerſalia dentur generica, vel ſpecifica realia, quibus vera aliqua competat unitas, quin potius neque ideam generis cujuſvis, aut ſpeciei habere poſſumus, niſi ea omnia confuſè noſtrae menti repraeſentemus, quae genericâ aliquâ, vel ſpecificâ voce denotantur. Quaelibet namque res per ſuam propriam eſſentiam individua eſt, & una, licet per modos quoſdam innoteſcat, & per eoſdem individua dignoſcatur.

VIII.

UNa eſt, ut diximus, cujuſlibet individui entitas, atque ita una eſt, ut quodlibet individuum ſit ens indiviſum in ſe & a quolibet alio diviſum. Quapropter, cum varia praedicata eidem tribuimus individuo, non varias colligere debemus in eodem entitates, ut ut formales dicantur, non varias intrinſecas virtutes. Hinc tàm formalem, quàm virtualem intrinſecam graduum Metaphyſicorum diſtinctionem rejicimus. Prò variis enim praedicatis ſola diſtinctio rationis ratiocinatae ſatis eſt.

IX.

IN entium claſſe nedum ſubſtantiae, ſed accidentia quoque, quae abſoluta dicuntur, ſive modi, & relationes recenſeri ſolent, quorum omnium eſſentiam explicare, ſi fieri id poſſet, ad Metaphyſicos pertineret. Verùm, qui ſubſtantias negare non poſſumus, earum eſſentiam detegere non valemus. Quod ſi de accidentibus abſolutis, ſive modis, & relationibus loquamur, licet accidentium eſſentia in Phyſica manifeſtanda ſit, hic tamen ea ab entium Phyſicorum numero excludimus, &, divinitùs à quâlibet ſubſtantiâ ſeparari, & exiſtere poſſe, negamus, cum revera nihil ſint aliud, quàm entium realium, ſubſtantiarum ſcilicet, modi reales. Relationes verò, licet reales dicendae ſint, inter entia Phyſica non admittimus.

X.

PRaeter ea, quae recenſuimus, varia de cauſis conſiderare ſolent Metaphyſici, quae nos quoque conſideravimus. Verùm in hac tractatione, plura cauſarum genera vulgò admiſſa conſiderantes, efficientem ſolam, eamque Phyſicam, veram, ac rigoroſam eſſe

 cauſam,

cauſam, animadvertimus. Moleſta nimis hac in re controverſia ſeſe nobis offert. Num ſcilicet cauſa efficiens Phyſica ſit ſolus Deus, coeterae verò, quae cauſae Phyſicae dicuntur, merae ſint occaſionales cauſae, nec ne? Verè tamen non eſt, cur vetuſtioribus quibusdam, & recentioribus plurimis adſtipulemur, & ſoli Deo veram tribuamus efficientiam, non enim iis innituntur rationibus, non iis fulciuntur fudamentis, quibus ita adſentiri cogamur, ut refragari minimè poſſimus.

XI.

JAm, rebus Metaphyſicis, uſque abſtractiſſimis, adſueti, Ontologiae Pneumatologiam addimus, & ſaculiati, in qua de ente pertegimus, doctrinam ſubnectimus de Spiritibus, in qua de rebus ab omni materiâ, non cogitatione tantum, ſed reipſâ ſecretis, Anima ſcilicet, Angelis, atque Deo, nobis eſt pertractandum. Animae in primis originem, naturam, ac vires conſideramus, & quamvis, dum Philoſophorum opiniones excutimus (fide ſecluſa) graviſſimae, atque inextricabiles propemodum difficultates occurrant, ut non modò Heraclitus, aliique Veteres, & inſtar omnium Seneca, verum & nonnulli Ecclesiae Patres, & etiam num acutiſſimi Philoſophi dicant quaeſtionem hanc de mentis origine inſolubilem eſſe, attamen in re iàm gravi, quae fide novimus circa humanam mentem, ſanctiſſimè profitentes, quae Phyloſophicè diſceptari ſolent, aut poſſunt, ad rationis normam exigere volumus & prò viribus parte tueri.

XII.

AD fidem quod pertinet, mentem humanam eſſe immortalem, atque Spiritualem, conſtantiſſimè credimus. Eam ante corpus creari, aut ab Angelis produci, putamus falſiſſimum. Et licet aliqui opinentur, haereticum non eſſe, qui dicat, Deum in prima rerum creatione mentes hominum condidiſſe, ut ſtatim unirentur corpuſculis ſuis organicis tunc infinitè ferè parvis, in quibus illum haberent animae ſtatum, quem modò, detentis ſomno corporibus, obtinent, hanc tamen opinionem irridendam fateantur, neceſſe eſt. Ut verò, quae de humana mente credimus, omnia manifeſtemus, eam propria gaudere libertate indifferentiae, profitemur.

XIII.

UT, quae fide, Deique revelatione credimus certiſſima, humana ratione imbecilli diſcutiamus, placet, mentis humanae Spiritualitatem naturali ratione attingere, &, eâ ſemel ſtatutâ, ejus quoque immortalitatem, & a corpore diſtinctionem, ipſa ratione duce confirmare. Qua in re, licet verbis Auguſtini uti poſſimus--*Plangendae ſunt iſtae tenebrae, in quibus me latet facultas mea, quae in me eſt, ut animus meus de viribus ſuis ſeipſum interrogans, non facile ſibi credendum exiſtimet*, attamen, humanam mentem,

ſub-

ſubſtantiam eſſe ſpiritalem, hoc eſt, omni prorſus extenſione carentem, iis argumentis evinci, propugnamus, a ratione petitis, quae, etſi non apodicticè rem conficiant, ejuſmodi tamen ſunt, ut animum docilem, & à pertinacia alienum convincant; praeſertim quòd argumenta poſitiva, quae contra adferri ſolent, facillimè diſſolvuntur. Atque hinc, argumenta a ratione petita, quibus noſtrae mentis immortalitas confirmatur, etſi ſingula mathematicam evidentiam non habeant, ejuſmodi tamen eſſe contendimus, ut ingenia vel pervicacia poſſint revincere.

XIV.

DE mentis humanae Spiritalitate, atque immortalitate, ratione ipsâ, ſatis ſuperque perſuaſi, commercium inveſtigamus, inter corpus, & mentem exiſtens. Quod, cum opinemur, numquam fore nobis notum, niſi prius cognoverimus, quomodò ſenſationes in mente noſtra fiant: quomodò mens noſtra objecta externa percipiat: quomodò in ea reflectat: quomodò tandem corpus in mentem agat, & viciſſim corpus a mente moveatur, perdifficile ſuſcipimus examen, quod tàm impar noſtris eſt viribus, quàm noſtris viribus impar eſt, eſſentias tùm mentis, cùm corporis, & cunctas eorum proprietates diſtinctè cognoſcere. Et ſane hoc illud commercium eſt, quod, exceptis Materialiſtis, ut cujuſcumque aevi Philoſophi explicarent, cum in aperta luce collocare vellent, obſcurius reddidere.

XV.

INter varias hypotheſes, huc uſque excogitatas, illa Platonicorum prima occurrit, qua docemur, cum homines, vel praeceptorum ſubſidio, vel propriâ induſtria quidquam videntur addiſcere, non novam acquirere ſcientiam, ſed, quae in mente latebant, rerum jamdiù cognitarum ideas excitari, nihil proindè aliud eſſe humanam ſcientiam, quàm puram, putamque reminiſcentiam. Verum, ut ut hypotheſim hanc caſtigaverit, & undeviginti argumentis illuſtraverit Celeberrimus Platonis interpres Marſilius Ficinus, eam putamus, meritò rejiciendam.

XVI.

COntrariam quidem Platonicis inıere viam Peripatetici; pejori tamen, an meliori fato, ignoramus. Id ſcimus, ob propugnatam a Peripateticis hypotheſim, riſum tollere Recentiores, quorum aliqui putant, eam, ut confutetur, non aliâ re indigere, quàm negatione; quippè quae nullo nititur fundamento, niſi illorum auctoritate, qui eam invenere. Nos verò eam non irridemus, quemadmodum neque caeteras; rejicimus tamen omninò, tamquam omni veriſimilitudine deſtitutam.

XVII.

NImium ſibi indulgens Nicolaus Malebranchius, hypotheſes omnes ad ſua uſque tempora excogitatas, quaſi manifeſtè fal-

ſas

ſis detexiſſet, novam, ad explicandam noſtrarum cognitionum originem, hypotheſim excogitavit, illudque propoſuit, nos omnia in Deo videre, quod mens noſtra enti unitur ſummè perfecto, entium omnium conditorum perfectiones in ſe generatim includenti, cui tamen quatuor diverſos percipiendi modos adjungit, primum, quo res in ſe ipſa videtur, ſecundum, quo res per ideam claram dignoſcuntur, tertium quo mens per ſui conſcientiam ſeipſam agnoſcit, quartum denique, quo per conjecturam coeterae mentes dignoſcuntur, ut ipſe putat. Egregie quidem. At bona ipſius pace haec hypotheſis tanta non eſt, ut ei ſubſcribere debeamus.

XVIII.

Vim ingenii ſui, prae coeteris, exercuit Gothfredus Guillelmus Leibnitius, ut, & noſtrarum cognitionum originem deſignaret, & commercium daret illud inter animam, & corpus, diù conquiſitum, numquam inventum. Adſerit quidem ipſe, animam, & corpus ita ſimul eſſe conjuncta, atque ita ſimul inter ſe convenire, ut motus corporis, juxta mechanicas leges effecti, reſpondeant perceptionibus, atque determinationibus, quae ex naturali ejus conſtitutione in mente dantur juxta determinatas quaſdam leges, non phyſicas, ſed quae naturae convenient intelligenti. At opus non benè reſpondet promiſſis. Excogitata namque hypotheſis, veluti ſtabili deſtituta fundamento, rejicienda quoque eſt.

XIX.

Erunt fortaſſe, qui conquerantur, quod, dum Philoſophorum opiniones diſcutimus, veluti Catalogum noſtrarum dubitationum ſcribamus. Quibus, ſi qui ſint, ut ingenuitatis amatores decet, verba Ciceronis prò reſponſione proferimus--*Utinam tam facilè vera invenire poſſem, quàm falſa convincere. Nec ego nunc ipſe aliquid adferam melius; ut enim modò dixi, omnibus ferè in rebus, & maxime in phyſicis, quid non ſit potius, quàm quid ſit dixerim.*--Tot porrò, tamque ſpiſſae rem iſtam involvunt tenebrae, ut, quod proferamus, candidè fateamur, nos ignorare. Turpius enim arbitramur, id jactare nobis compertum, quàm incompertum fateri, quod revera neſcimus--*Nihil enim tàm temerarium*, ut iterum Ciceronis verbis utamur, *tamque indignum ſapientis gravitate, atque conſtantia, quàm aut falſum ſentire, aut quod non ſatis adhuc exploratè perſpectum ſit, & cognitum, abſque ulla dubitatione defendere.*

XX.

Satius itaque putamus in tanta rerum obſcuritate, animam credere ſpiritualem, atque immortalem, eamque facultates habere intelligendi, volendi, res cognitas revocandi, & corpus movendi; coetera verò, quae ad eandem pertinent, ignorare, ne, cum animam ſubſtantiae alicujus naturam, vel modum, quo aliquam ſui facul-

tatem

[illegible] exerceat, nobis compertum velimus, incautè decipiamur. Id, quod de Carteſio dicendum, qui, animam ſemper aliquid cogitare, ab hac cogitatione ceſſare non poſſe, ab hac ipſa non diſtingui, & actualem ipſam cogitationem, veluti mentis eſſentiam, naturam, & conſtitutivum eſſe voluit. Id, quod de Scholaſticis, de Gaſſendo, & iterum de ipſo Carteſio dicendum, quorum hypotheſes de memoria rejicimus; tàm enim inextricabilibus difficultatibus noſtrae origo memoriae involvitur, ut, quemadmodum certò conſtat, memoriam nobis ineſſe, ita, fatendum nobis, cenſemus, ignotum eſſe modum, quo hujuſmodi facultas exerceatur.

XXI.

Facultate quidem volendi pollet humana mens, quae facultas tanta eſt, ut, experientià ſimul, & ratione conſultis, nedum ſpontaneitatem, ut ajunt, ſecum ferat, ſed libertatem illam, quae neceſſitatem omnem excludit, quaeque indifferentiae, & aequilibrii libertas nuncupatur. Quamobrem ſpernenda impia illa, atque abſurda Stoicorum ſententia de fato, quae & Democriti, & Epicuri opinio fuit, res omnes, atque humanas etiam voluntates ab ineluctabili quodam fato definiri. Irridenda inſuper Spinoſae, Obeſii, aliorumque hujuſce furfuris opinio, qua ſtatuitur, res omnes, actuſque humanos abſolutâ phyſicâ neceſſitate, & mere mechanicas naturae leges evenire. Eorum tandem rejicienda opinio, qui moralem neceſſitatem in actionibus liberis communiſcuntur.

XXII.

Mentem humanam, immortalem illam, atque ſpiritualem, inexplicabili quidem, ſed neceſſario vinculo conjunctam corpori, intelligentem, atque liberam, in humano corpore obtinere ſedem, certum eſt, quam obtineat, nobis incertum. Porrò quis, clarè cognitum, ſibique perſpectum eſſe, glorietur, qua vi, quibuſque nexibus immortalis illa, ac ferè divina mentis ſubſtantia corpori conjuncta, atque ita ſenſibus adligata ſit, ut ab iis in operando dependeat, quave in corporis parte reſideat? Scimus quidem, de praecipua ſede mentis quid Veteres ſenſerint, ut ab Empytico, Cicerone, Plutarcho, aliiſque memoratur. Scimus, quid ſentiant adhuc Peripatetici. Scimus, quid excogitarit Carteſius. At, quis veriſimillimum putamus, animam in capite, tamquam in Regia ſede collocari; qua tamen in capitis parte collocetur, non determinemus. Idque tantummodò contendimus, opinionem Peripateticorum nullo argumento demonſtrari poſſe, quin immò non poſſe ex ea adverſantium argumentis ſatisfieri. Opinionem verò Carteſii nulla ratione fulciri.

XXIII.

Quae ad mentem humanam pertinent, licèt non prò rei dignitate, attamen, quantum nobis noſſe datum eſt, & curae perinſerunt, quae ratò virtuti conjunguntur, expoſuimus. Jucunda

mox,

mox, atque erudita occurrit diſceptatio de brutorum anima; quam, niſi intus, & in cute expendamus, hominum, brutorumque diſcrimen nullo prorſus pacto comperiemus. Etenim, ſi ſola brutorum, atque hominum corpora ſpectemus, non majus nos inter, & bruta reperietur diſcrimen, quàm inter varias brutorum ſpecies reperitur, immò bruta quaedam homini ſimiliora, quàm brutis. Unde illud Poëtae,

Simia quàm ſimilis turpiſſima beſtia nobis.

XXIV.

Anima illa eſt, quâ homines à brutis differunt, idque hominum, brutorumque actiones oſtendunt. Quod etſi omnes agnoſcant Philoſophi, invicem tamen diſtracti, alii majus, minus alii diſcrimen conſtituunt. Opinantur vulgò Scholaſtici, quibus Recentiores aliqui adſtipulantur, praeter corporis machinam, quae conſpicua in brutis eſt, animam quamdam brutis ineſſe, quâ ea omnia bruta faciunt, quae ad vitae conſervationem neceſſaria ſunt, vero ſenſu, vero appetitu, veràque vi percipiendi praedita. Quod ſi ſciſcitemur, quid praeterea in homine ſit? Reſpondere ſolent alii, bruta animadvertere quidem, cupere, amare, odiſſe, ſed ſolo quodam naturae impetu, ac inſtinctu, & ſine ulla ratiocinatione, homines praeterea ratiocinari. Alii verò dicunt, & bruta ratiocinari, ſed circa ea dumtaxat, quae ſenſus feriunt, homines verò longè plura cogitare, quàm quae per ſenſus hauriri poſſunt. Omnes autem unanimi conſenſu, brutorum animam materialem, atque diviſibilem ſubſtantiam eſſe, docent. Atque hac hypotheſi ſemel ſtatuta, putant, magnum, ſpecificumque diſcrimen inter hominum, & brutorum animas eſſe, nihilque objici poſſe huic hypotheſi. Verè tamen, quod ipſi opinantur, iis laborat incommodis, a quibus liberari nequit. Qua de cauſa Peripateticorum hypotheſim non amplectimur,

XXV.

Receſſere à Scholaſticis Carteſiani, &, bruta meras eſſe machinas, nulla cognitione, nulloque ſenſu praeditas, definiere. Plurimi ex antiquis, ut auctor eſt Plutarchus, & in novellis Reipubl. Litterariae demonſtrat Baelius, huic ſententiae adhaeſere. Et ſanctus quidem Auguſtinus, hanc plurimis viris doctis, etiam ſuo tempore, adriſiſſe, teſtatur. Verùm jam obſoletam penitùs, & cunctis inviſam Gomeſius Pereira Medicus Hiſpanus primus omnium excitavit, quam deinceps illuſtravit, auxitque Carteſius, quem conglobatim alii ſecuti ſunt, ratum habentes, nullam belluis cognitionem, nullum ineſſe ſenſum, ſed omnia juxta mechanicas leges, nullâ aliâ interveniente natura, a brutis fieri. Sit haec opinio coeteris certa, nobis videtur, nulla ratione defendi poſſe,

XXVI.

XXVI.

VAnitatem reliquorum ſyſtematum, de brutorum anima, deprehendiſſe, ſibi viſus Pater Bougeantius, ne ſuam de brutorum anima ignorantiam fateretur, novum, atque inauditum excogitavit ſyſtema, (ſeu ſeriò, ſeu jocularìter, alii viderint) quo omnes brutorum operationes abſque ulla abſurditate, ſine ullo Religionis, rationiſque detrimento explicarentur. Statuit interim, unicuique brutorum corpori ſuum fuiſſe Cacodoemonem, veluti prò anima, deſtinatum, qui non ſecus, ac anima in nobis, omnia in brutis peragerét, quae fieri ab illis, non ſine admiratione conſpicimus. Oh monſtrum! non quidem, ſed Paradoxum, quod jurè falſum, atque abſurdum eſſe, propugnamus.

XXVII.

QUod ſi quis putet, nos, qui de mentis humanae ſpiritalitate ſuademur, de belluinae quoque mentis ſpiritalitate ſuadert poſſe, eamque ſpiritualem fateri, non id putet. Nam quod nos de humana mente definimus, licet ſpiritus, atque materiei potentias omnes, ac proprietates ignoremus, interna tamen conſcientia, proprioque ſenſu, experimur. Quamobrem neque ratione, neque ſtudio intemperanter abutentes, internam conſcientiam, propriumque ſenſum ſectamur. Cum verò de brutorum animares agitur, neque interna conſcientia, neque proprio ſenſu quidquam poſſumus definire.

XXVIII.

POſt tractationem de anima quaedam de Angelis, atque Deo, ſi quid noſtrarum mentium viribus comprehendere poſſimus, ſtudio veritatis adepti, tradere promiſimus. En ſtamus promiſſis, & primùm nihil ſolliciti de Angelorum poſſibilitate, quorum creandorum potentiam Deo denegare, impietatis maximae, & abſurditatis intolerandae ſignum eſſet, ſolo rationis lumine innixi, noſtram certitudinem de Angelorum exiſtentia, è ſignis, & monumentis deſumptam profitemur. Advertimus tamen, nos hic Angelorum nomine naturas velle intelligentes, humanis multo praeſtantiores.

XXIX.

ANgeli, quos eſſe, ratione ipſa naturali ſuademur, cujus naturae ſint, inveſtigare, quis poſſet? Num ſcilicet corpore ſimul, & Spiritu conſtituantur, an verò ſint purae mentes, omni prorſus amico corpore deſtitutae? Varia fuit veterum Chaldaeorum, Platonicorum, atque Pittagoricorum opinio, varia Hebraeorum, Criſtianorum, & Æthnicorum ſententia. Si cum his mentem noſtram & nos aperire debemus, putamus, ſola ratione ſpectata, quaeſtionem definiri minimè poſſe. Quà tamen ſuademur, eos in bonos, atque malos eſſe diviſos.

XXX.

QUis unquam ſola ratione definiet numerum Angelorum? quis ſpecificas eorum differentias? quis eorum ſubordinationem? Nemo erit unquam. Licèt, ſuppoſitis variis Angelorum ordinibus, & eorum ſubordinatio, & ſpecificae inter eos differentiae non abſque ratione admitti poſſint. Quis praeterea ratione ſola definiet unquam num Angeli ſolis naturae viribus Dei eſſentiam, & gratiae myſteria, cognoſcere poſſint num ſecreta cordium, & cogitationes hominum penetrare, nullo priùs edito ſigno. num futura praenoſcere contingentia? Nemo erit unquam. In hac autem tanta naturalis luminis infirmitate ſuadet ratio, doemones inſidere poſſe corporibus, & reipſe ab iis energumenos poſſideri.

XXXI.

POſtremam Pneumatologiae manum daturi, Dei exiſtentiam inprimis demonſtrandam ſuſcipimus, quâ demonſtrata, quam falſam in hac demonſtratione viam Philoſophi quidam tenuerint, aperimus, ac tandem Dei providentiam adverſus veros Epicureos tuemur. Quibus ex voto confectis, rerum tractationem perſolvimus, quae vel cogitatione, vel reipſa a qualibet materia ſejunguntur.

XXXII.

AD rem noſtram quod ſpectat, quamquam impoſſibile videatur, poſſe hominem, rationis participem, univerſi ordinem, ſeque ipſum inſpiciendo, ſupremum negare numen, cujus potentia ſuam cuncta habeant originem, cujuſque providentiâ regantur univerſa, attamen, malo eorum fato dictum ſit, non defuere, qui vel nullum ſupremum agnovere Numen, vel ſomno ferè, vinoque ſepultum, quae ſemel condidit, ſtatuiſque viribus exornavit, nec reſpiciens quidem, otio perpetuo torpere putaverunt. Monſtrum hoc Atheiſmi, ut primùm apparuit, illicò ſemper deletum, totoque orbe conclamante devictum. Verùm, quis crederet? iterumque, iterumque concuſſum, in Hollandia tamen, atque Anglia ſub Obeſio, Benedicto Spinoſa, Tolando, atque aliis, noſtra quoque horrendum ſenſerunt ſoecula monſtrum. At veterum Philoſophorum telis, quibus antea confoſſum, additis validiſſimis Recentiorum armis, nunquam poſtea reſurrecturum, monſtrum cadat, neceſſe eſt, ad exiſtentiam namque Dei oſtendendam, ſcientiae omnes, phyſicae in primis mirè conſpirant.

XXXIII.

DIverſam ab aliis omnibus, Atheiſmi oppugnandi, Deique exiſtentiam demonſtrandi, viam, novâ inductâ philoſophandi methodo, Carteſius iniit. Laudandum tentavit opus. At, parcant nobis, qui contrarium ſentiunt, duo praecipua argumenta, quibus uſus eſt, nullius roboris, & inſufficientia nobis videntur. Dei namque idea, qualem ipſe putat, innata non eſt, &, ſi utriuſque argumenti propoſitiones expendamus, ne nimio rigore in megni

nomi-

nomine Philoſophum agère videamur, apparebit, meritò a nobis, in argumenta, quibus potiſſimum, tamquam propriò ingenio elaboratis, utitur, iſtam eſſe ſententiam.

XXXIV.

NIſi Poſſidonio ſubſcribere velimus, credenti, nullos Deos fuiſſe Epicuro, quaeque de Diis immortalibus hic dixerit, invidiae deteſtandae gratia dixiſſe, atque ideò re Deos tollere, oratione relinquere, Deum Epicurus admiſit, quem tamen à mundi gubernaculo relegavit—*Nihil enim agit Deus*, inquit Vellejus Epicureus apud Tullium Lib. 1. de Nat. Deorum, *nullis occupationibus eſt implicatus, nulla opera molitur, ſuâ ſapientiâ, & virtute gaudet, habet exploratum, fore ſe ſemper tùm in maximis, tùm in aeternis voluptatibus. Hunc Deum ritè Beatum dixerimus, veſtrum verò laborioſiſſimum. Nos autem beatam vitam in animi ſecuritate, & in omnium vacatione munerum ponimus.* Epicuri tamen, ejuſque ſectatorum impietatem latè, ſuperque redarguit rerum ipſa natura, mirandа ſcilicet univerſi machina, quae è nihilo educta, & ad varios fines, quos conſtantiſſimè ſequitur, in variis, ſuis partibus deſtinata, & Creatione Deum, & ſupremum omnium Rectorem Conſervatione, apertiſſimè manifeſtat.

XXXV.

SPiritalium ſubſtantiarum notitia corporis conſiderationi praepoſita, corporeae quoque ſubſtantiae notitiam exhibituri, Phyſicae ſcientiae pertractandae manum admovemus. Quo quidem in opere, quod abſolutum dare non poſſumus, nulli hypotheſi addicti, corporis exiſtentiam in primis, naturam, ac proprietates univerſim ſpectamus, peculiare quodcumque corpus deindè inſpecturi. Idque juxta notitias illas, quas accuratiſſimis experimentis, tutiſſimiſque obſervationibus, ſenſu vivido, ac firma ratione meliores adipiſci poterimus.

XXXVI.

ESt corpus, quod, licet non immeritò poſtulent eruditiſſimi Phyſici, exiſtere, non diffitemur tamen, ejus exiſtentiam, nedum conjecturis, & veriſimilitudine ſuaderi, ſed evidenti quoque ratione demonſtrari. Corporis autem nomine id omne intelligimus, quod extenſum eſt in longum, latum, atque profundum, partibus conſtans ſeparabilibus, mobile, impenetrabile, ſolidum, atque reſiſtens.

XXXVII.

NUlla eſt corporis idea, niſi quatuor haſce, quas generica dicimus, affectiones complectatur, extenſionem ſcilicet, & reſiſtentiam, mobilitatem, atque diviſibilitatem, inter quas tanta intercedit relatio, ut duabus ex iis datis, reliquae duo neceſſariò admittendae ſint.

XXXVIII.

XXXVIII

CAveant tamen Phyſici, ne, cognitis quatuor datis corporis affectionibus, corporis naturam, ſivè eſſentiam ſibi credant perſpectam. Caveant, in manifeſtum namque errorem incidant, neceſſe eſt; quemadmodum Carteſius, iique omnes errarunt, qui corporis eſſentiam in nuda extenſione trinè dimenſa collocarunt. Et ſanè, nedum fateri debemus, ideam purae extenſionis ab idea corporis diſtinctam eſſe, & eſſe poſſe extenſionem, quin ſit corpus; ſed ſpatium prorſus inane, quod diſſeminatum dicunt, ſaltem tamquam veriſimillimum in Univerſo admittere, cogimur, & ab admittendo, vel negando vacuo coacervato, judicium ſuſpendere, utilque de eo deſinere.

XXXIX.

DIviſibilitatem conſideratnus, & eam nullis limitibus contineri deprehendimus. Undè, in quolibet corpore numerum infinitum partium admittere, non recuſamus, licet fateamur, plura hac in re nobis occurrere, quae vim imaginationis longè ſuperant. Quae tamen, neque errorem in demonſtrationibus noſtris oſtendunt, neque idcircò quidquam negotii nobis faceſſunt.

XL.

AB extenſione, ac diviſibilitate corporis ad ejuſdem impenetrabilitatem, quam appellare poſſumus reſiſtentiam, & ſoliditatem, gradum facimus. Qua in re, quodcumque illud ſit, per quod corpus invincibili impenetrabilitate pollet, quod incognitum homini fuit ſemper, ſemperque erit, quouſque incognita erit corporis eſſentia, impenetrabilibus tenebris involuta, certum eſt, vim obſiſtendi, mutuae compenetrationi, aequaliter per quaſcumque corporis partes diffuſam eſſe.

XLI.

CUm unaquaeque pars corporis extenſa ſit, in infinitum ſit diviſibilis, & impenetrabilitate ſit praedita, nulla eſt vel perexigua, in qua infinitae numero partes mole decreſcentes invicem non cohaereant, & mutui ſeparationis non reſiſtant. Atque hinc, polleant, oportet, corporis partes aliquo niſu ſeparationis reluctante. Quo quidem poſito, cuique apparet, mutuam partium gravitatem, ſivè attractionem, & niſum partium corporis ad mutuò gravitandum, eſſe univerſalem, & non poſſe corpus exiſtere abſque aliqua mutua partium gravitate. Quae major, aut minor evadit, quò major, minorve evadit mutua inter partes illas diſtantia.

XLII.

NOn oritur ergò mutua corporum gravitatio ab externa ulla, & mechanica cauſa, partes ad cohaeſionem cogente, non ab ullo impulſu, non à vi magnetica in ſenſu Gaſſendi, non è vorticoſo liquidae ſubſtantiae motu circa terrae axem, non ab incumbente liquido, quod ſuo pondere penſilia in eo corpora deorſum continuò praemat, & urgeat,

XLIII.

XLIII.

Hinc non mirum ſit, quod ex univerſali illo partium corporis niſu, ad mutuò gravitandum, ſeducamus, corpus ad motum, atque quietem ex aequo indifferens non eſſe, & ab ipſa corporis natura motum aliquem profluere. Quod vi inertiae non officit, quam in corpore exerceri putamus, dum agens aliquod extrinſecum vim preſſionis, aut impulſionis quampiam corpori infert, ad aliquam ſtatus ejus immutationem producendam.

XLIV.

Firmata corporis exiſtentia, ejuſque univerſim inſpecti conſideratis affectionibus, & iis expoſitis, quae ex talibus affectionibus profluunt, nec non ſuppoſita legum motus cognitione, ſtatim peculiarium corporum examen, & de Coelo primum, ac terra tractationem ſuſcipimus. Sex diebus veris, non figuratis fecit Deus Coelum, Terram, & omnia, quae in eis ſunt. Unicus, finitus, liberè, & in tempore creatus eſt Mundus, qui Compages eſt, è Coelo, Terrâque coagmentata, atque ex iis naturis, quae intra ea continentur.

XLV.

Inter Mundi ſyſtemata, quòad vires noſtrae ſuppetunt, ad trutinam revocata, Ptolemaicum, quod retroactis Soeculis peritiores ferè omnes Aſtronomi amplexi fuere, falſum manifeſtiſſimè eſt & non Phyſicae tantum, ſed Aſtronomiae quoque legibus evidenter opponitur. Tychonicum facilè quidem cum Aſtronomia, ſed aegrè cum Phyſica convenit. Copernicanum, licet non omninò cum Phyſica, mirificè autem cum Aſtronomia congruere videatur, diſſonat a ſacris litteris. Cui igitur adhaerebimus? Nulli tamquam theſi, tamquam hypotheſi, & exercitii cauſa, ſoli Copernicano.

XLVI.

Nos, qui de terrâ ſumus, in terra ſumus, & in terram reverſuri ſumus, quid eloquemur de Coelo? haec dun. Primùm: Coelum eſſe fluidum, non ſolidum. Deinde Coeli corruptibilitatem phoenomenis, quae a Recentioribus Aſtronomis in eo deprehenſa ſunt, ſatius conformem videri. Coetera omittimus, quae de Coeli natura in controverſiam vocari ſolent, ut pauca quaedam de Terrâ quoque hac noſtra conſideremus.

XLVII.

Terra haec illa eſt, quam incolimus, cujus fructibus veſcimur, cujus tandem ſinu recondimur. Hanc Primus hominum Parens Adamus inhabitavit. Hanc Deus plantis exornavit, quae ſeminis propagatione vireſcunt. Hanc variis brutorum generibus complevit, quorum nulla (quod veriſimillimum eſt) ex putri, ut ajunt, enaſcuntur.

XLVIII.

Terram hanc ambit aer, quem gravem, atque elaſticum innumera probant experimenta, irrigant pluviae erumpentes ex diſſolutis nubibus, quae ex aqueis halitibus, aliis intermixtis heterogeneis exhalationum particulis, componuntur. Fontes, ac flumina interfluunt, quibus alendis, efformandis, augendis ſublati vapores, qui vel in pluvias, vel in nives vel in alia humida meteoria denſati decidunt in terram, ſatis, ſuperque ſufficiunt. Hanc tandem lux illuſtrat, juge ſcilicet illud effluvium particularum a Corpore lucido per ſeries radiorum quaquaverſus per orbem erumpentium.

XLIX.

Hinc diverſis coloribus, quicumque oculis inſtructi ſunt, oblectantur, quorum diverſitas non aliundè oritur, quemadmodum colligere nobis licet, quàm ex diverſa radiorum lucis naturâ, qui prò diverſa, qua gaudent, modificatione, diverſam ſubeunt refractionem, diverſimodè oculos adficiunt, ac diverſus in anima ſenſus coloris excitatur.

L.

Sonitu quoque adliciuntur aures, odore nares, ſapore lingua. Frigore comprimuntur corpora, calore laxantur, duritie, mollitudine, aſperitate afficiuntur. Haec autem omnia nemo dixerit occultas qualitates. Sonitus namque ſenſatio eſt, quae fit in auribus ex tremulo motu aeri com unicato a corporis tremore, & localiter ad quamdam uſque proportionatam diſtantiam diffuſo, donec langueſcendo quieſcat. Odor ſenſatio eſt, ex particulis, è corporibus odoris manantibus, in naribus peracta. Id, quod de ſapore, data tamen ſenſus proprii proportione, dicendum eſt.

LI.

Mirandum, ac terribile quoddam in terrâ hac ſaepius experimur, terraemotum ſcilicet, quo urbes diruuntur, & moenia, & terrae ipſius ſinus ſcinditur aliquandò. Cujus horrendi phoenomeni cauſam inquirentibus, non aliam dare poſſumus majorem, quàm variarum exhalationum, ex corporibus ſubterraneis, mineralibus praeſertim, erumpentium accenſionem.

Diſputabuntur Florentiae in Eccleſia ejuſdem Conventus, Praeſide F. BENEDICTO MARIA CAJETANO, ibidem Philoſophiae Lectore.

Anno 1744. *Die* *Menſe Julii Hora*